

Caeterum fidelium peccata venialia esse: non quia non mortem mereantur, sed quia Dei misericordia nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu: quia non imputantur, quia venia delentur. Scio quam inique doctrinam hanc nostram calumniantur: dicunt enira paradoxum esse Stoicorum de peccatorum aequalitate: sed suo ipsorum ore nullo negotio convincentur. Quæro enim, annon inter ea ipsa peccata, quæ mortalia fatentur, aliud alio minus agnoscent? Non igitur protinus sequitur, paria esse peccata quæ simul mortalia sint. Quum scriptura definiat, stipendium peccati mortem esse: Legis obedientiam, esse vitæ viam: transgressionem, mortem: hanc sententiam evadere non possunt. Quem ergo satisfaciendi exitum invenient: in tanto peccatorum cumulo? si unius diei est satisfactio peccati unius: dum illam meditantur, pluribus se involvunt: quando diem nullum præterit iustissimus quisque, quo non aliquoties labatur. Ad eorum vero satisfactiones dum se accingunt, numerosa, vel potius innumera cumulabunt. Jam præcisa est satisfaciendi fiducia: quid morantur? quomodo adhuc de satisfaciendo cogitare audent?

Conantur quidem se expedire: sed aqua (ut dicitur) illis hæret. Fingunt sibi distinctionem *poenæ* et *culpæ*: culpam remitti fatentur Dei misericordia: sed culpa remissa, poenam restare, quam persolvi Dei iustitia postulat. Ad poenæ igitur remissionem proprio spectare satisfactiones. Quæ ista, bone Deus, desultoria levitas? culpæ remissionem nunc gratuitam prostrare considentur, quam precibus et lacrymis, aliisque omni genus præparationibus emereri subinde docent. Verum adhuc cum ista distinctione ex diametro pugnat quicquid de peccatorum remissione in Scriptura nobis traditur. Quod tametsi satis superque existimo jam a me confirmatum, subnectam tamen quædam aha testimonia, quibus adeo constringantur tortuosi isti angues, ut ne summam quidem caudam complicare posthac queant. "Hoc est testamentum novum, quod Deus in Christo suo nobiscum pepigit, Quod iniquitatum nostrarum non recordabitur." Quid his significaverit, discimus ex altero Propheta, ubi Dominus: "Si justus, inquit, a iustitia sua deflexerit, omnium iustitiarum ejus non recordabor; si impius ab impietate sua recesserit, omnium iniquitatum ejus non recordabor." Quod se iustitiarum recordaturum negat, utique hoc est, nullam se earum habiturum rationem, ut remuneretur. Ergo et peccatorum non recordari, est ea non postulare ad poenam. Id ipsum alibi dicitur, projicere post tergum, dolore instar nubis, demergere in profundum maris, non imputare, tecumque habere. Talibus loquendi formulis non obscuro sensum suum nobis explicuerat Spiritus sanctus, si dociles aures illis accommodaremus. Certe si punit Deus peccata, imputat: si vindicat, recordatur: si ad iudicium vocat, tecta non habet: si examinat, post tergum non projicit: si inspicit, non obliteravit instar nebulæ: si ventiat, non projicit in profundum maris. Atque in hunc modum interpretatur Augustinus claris verbis: "Si textit peccata Deus, noluit advertere: si noluit advertere, noluit animadvertere: si noluit animadvertere, noluit punire: noluit agnoscere, maluit ignorare. Tecta ergo peccata quare dixit? ut non viderentur. Quid erat, Deum videre peccata, nisi punire?" Audiamus vero et ex alio Propheta loco, quibus legibus peccata remittat Dominus. "Si fuerint, peccata vestra ut coquebam, quasi nix alba essent: et si ruberint ut vermiculus, erunt quasi lana." Apud Jeremiam autem sic legitur: "In illa die requiretur iniquitas Jacob, et non invenietur: peccatum Jehudah, et non erit: quia propitiabor reliquiis, quas serva-